

bis, sed & aliorum civium fuisse, quam hodie sunt apud nos Consiliarii primi Principum Germaniae mediæ conditionis, hoc est non adeo potentum. Contra servi mercenarii viles sunt & ad vilia ministeria adhibentur, parum differentes a vilissimis ex plebe, qui per dies operas suas locant. Nisi dicere velis, eandem hac parte esse rationem famulorum quæ mancipiorum erat, cum famuli Principum & Magnatum non sint a classe famulorum eximendi, et si non omnes nomine famulorum sed dominorum appellantur.

*Nequis in liberte-*

*§. XXIX.* Denique nec in libero exercitio actionum differentia acti-rentia est querenda, ac si mancipia ita sint sub potestate dominorum, ut plane nihil quo velint, agere liceat, famuli contra liberius possint de actionibus suis disponere. Non ista libertas utrobius variat, prout dominum quis natus est benignum vel durum. Possunt famuli jugum intolerabile dominorum pati. Possunt mancipia saepe majori libertate gaudere indultu dominorum, quam nec multi homines liberi affectare possunt, etiam si nullus dominus id impedit.

*Sed in sola  
proprietate  
& quod  
mancipia re-  
bus accense-  
antur.*

*§. XXX.* Nulla ergo remanet differentia, quam quod mancipia seu servi proprie dicti, quos sum adeo iterum referto etiam qui se vendiderunt dominis, sint in proprietate, famuli non sint: hoc est quod servi non possint me invito exire ex servitio, domini vero possint eos etiam invitatos transferre in potestatem aliorum, cum famuli & mercenarii finito locationis tempore domino etiam invito abeant, & Dominus mercedem iis solvere cogatur, nec debet etiam ipsos ante finitum tempus invitatos dimittere, multo minus aliis dominis tradere. Paucis: mercenarii ut personæ considerantur seu ut cives, servi in civitatibus non ad personas pertinent, sed ad res. Unde famuli sub imperio sunt, servi sub dominio. Neque haec differentia Romanis peculiaris est, sed moribus aliarum genitum etiam conformis. Et nescio, cur id immane videatur illustri Pufendorffio, quod servi rebus accenseantur, & quod eodem modo de servo quis dicat, hic meus est, ac de jumento hoc meum est. Etsi enim non negemus, dominum semper recordari debere, servum esse hominem, omnibus juribus humanitatis capacem, debet tamen etiam misereri jumentorum. Etsi pec-